Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 6. Argumentum admirabile nobis proponit D. Ioannes, quod diues, qui proximi non miseretur quem videt inopia laborantem, Deum non amet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

blica, cuius ſtomachus ſunt diuites, ſtomachus autem iure naturali cæteris debet prouidere partibus, ſibi ſumens ſufficiens. Et iterum: *Dominus non ſolum decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus iubet exhiberi.* Et alibi hanc eſſe communem aſſerit Theologorum opinionem. Quidam docuerunt D. Thomam ſolum velle diuites ad eleëmoſynam teneri in caſu neceſſitatis. De qua re Caiet. edidit opuſculum, probans contrarium, quòd abſolutè diuites obligentur ad eleëmoſynas exhibendas, tam alijs, quàm huic aut illi extremè laboranti.

q.3. ar. 1. ad 4. — In 4. diſt. 15. q. 2. q. 4.

Secunda propoſitio ſit illa: *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ſuo, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.* Nihil magis irritat, commouetque Dominum, quàm ſi diſpenſator immiſericors petentibus eleëmoſynam pauperibus, manus contrahat, conuitietur, pedibus protrudat: tunc omnes de Domino grauiter conqueruntur; ſuſpicantur enim hæc illi placere conuitia, accuſant eum iniqui regiminis. At verò dum diſpenſator effuſè diſtribuit, libenter accurrit, alijs arridet, vultum præſe fert benignum, ſeruo à parte hac, alteri ab altera, omnibus denique tantum quantum ſibi conceditur erogans, Dominum ipſe ſuum honore afficit, familiamque reddit laudibus digniſſimam. Ita quoque euenit, dum Dei diſpenſator, diues inquam, pauperem crudelius excipit, & nedum egenti non ſuccurrit, ſed & conuitijs laceſſit, dicterijs abigit deſolatum: hoc Deo mouet ſtomachum: *Exprobat factori ſuo.* Hoc memoria retine, monet D. Chryſoſt. *Accepiſti plura cæteris, non vt ea ſolus conſumas, ſed vt eorum cæteris bonus ſias diſpenſator.* Opinor Dauid olim vidiſſe pauperes, omnibus exutos facultatibus, adeuntes diuites, eleëmoſynam ex Dei nomine poſtulantes: ſed hoc retulere ſolum, vt & eleëmoſynis vacui redirent, ac inſuper opplerentur conuitijs. Conſiderat illos Dauid malè exceptos, ſpe ſua fruſtratos, ad Deum conuerſos, quaſi de Deo querimonias eſſent expoſituri. Heu Domine mi, cur nos in ſummam proiecisti paupertatem, illos autem tot opibus cumulaſti ſuperabundanter? Num tuæ domus noſti moderationem, ac quales tibi ſint œconomi & qua ratione tua bona diſpenſentur? dixerunt: *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias,* &c. Hoc autem quotidie videmus in pauperum oppreſſionibus: eorũ triſtitia cœlum verſus audimus ſuſpiria, ac cõquerentes quòd à diuitibus omni repellantur inhumanitate. At dum illi diſpenſatores, fideliter ſuo funguntur munere, benedicitur Deus, eius extollitur prouidentia, eius laudatur iuſta diſpoſitio, quâ ſuccurrit omnibus, deeſt nemini, egrediuntur ſublatis manibus Domino gratias agentes, diuitibus proſpera cuncta apprecantes, pro eis Deum deprecantes: ſic autem introducit pauperem Dauid, pro diuite, inſigniter liberali exorantem: *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra* &c. Hic igitur ſummam habes totius proceſſus Euangelici contra diuitem. Dei diſpenſatorem, cuius fidei ſuas commiſit diuitias, bonaque temporalia, vt illis ipſe frueretur, pariter Dei famulis liberaliter erogaret; cui cum Dominus quendam omni humana ope ſpoliatum mitteret recreandum, eundem ad domus ſuæ ianuam fame ſuſtinuit interire; ſed nec micâ panis paſcere voluit afflictum inhumanus. Puniatur diſpenſator infidelis, ita puniatur; reus eſt mortis.

Prou. 14. 31. — D. Chry. Tom. 5. — Pſ. 72. 11. — Pſ. 40. 38.

§. 6. *Argumentum admirabile nobis proponit D. Ioannes, quod diues, qui proximi non miſeretur, quem videt inopia laborantem, Deum non amet.*

HAnc nobis proponit doctrinam dilectus 11
Domini diſcipulus, cauſam ex Theologiæ principijs, allegans, cur iuſtiſſima ſit diuitis condemnatio, qui bonis affluens temporalibus, pauperis non miſeretur, quem omnibus videt lapſum facultatibus, quodque hæc ſola, licet alia non eſſet, ſufficeret, vt inferni pœnis traderetur perpetuum exurendus: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatẽ habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Supponit D. Apoſtolus certam propoſitionem, ac ſæpius repetitam, neminem poſſe ſaluari, niſi diligat Deum, Dei flagret charitate, quam ex induſtria docto illo, ſimul & fuſo diſcurſu Doctor gentium explanat: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatẽ autem non habeam* &c. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam* &c. *charitatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* Duabus conſtat ſanctitas ſeu iuſtitia partibus, priori eaque minori, quòd malis abſtineamus: poſteriori, quòd bonis operibus inſudemus: ambæ neceſſariæ, vt præfati ſumus ex doctrina D. Baſil. Non meminit Apoſtolus partis prioris, dicendo: Si commiſero homicidium, adulterium &c. ſed ilico tranſit ad poſte-

1. Ioan. 3. 17. — 1. Ioan. 4. 20. — 1. Cor. 13. 1.

poſteriorem. Si me in actibus exercuero virtutum, fide adeo conſtanti, vt eius virtute montes de loco in locum transferam: patientia adeo forti, vt ipſos ſuperem ignes, pauperum ſolicitudine tanta, vt eis omnia bona mea diſtribuam, eorumque beneficio ac famulatui me totum conſecrem: *Omnes facultates meas.* Si Dei charitatem non habuero *Nihil mihi prodeſt*, bonus non ſum abſolutè, nec his omnibus gloriam mereor æternam, de quibus aliàs concludit igitur, ſine Dei charitate, ſaluari poſſe neminem. Huic maiori propoſitioni ſubiungit D. Ioan. alteram minorem: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo?*

Tract. 4. n. 98.

O dilectiſſime Chriſti diſcipule: vix hoc capio argumentum. Quâ conſequentiâ; quia pauperi fame, ſitique ſquallido non ſuccurro, non manet in me Dei charitas? Si, cum Deus & pauper, duo ſint inter ſe diſtincta, & quæ Deum tangunt exequi poſſim, vt ſanctum eius nomen venerari, plures exercere actus amoris ac bonitatis Dei, offerre ſacrificia, abſque eo quòd mihi occurrat aliquis in mundo ſumma obrui egeſtate. Num fortè qui amat dominum, eius tenetur ſuccurrere famulis ope indigentibus? Si conſtet, me poſſe diligere Regem, Regi, vitâ, boniſque ſeruire, licet eius non adiuuem ſubditum in quo mei operâ indiguerit, quem neſcio, ſi eum aut cognoſcat, aut amet, aut exhorreat: falleris, reſpondet D. Ioannes, hoc pro comperto noueris, fieri non poſſe, vt quis verè diligat Deum, & pauperis mendici non miſereatur: *Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Supponit hic docetque Euangeliſta Theologicam quæſtionem, quâ declarat rationem, quâ nobiſcum agit Deus, vultque illi ſeruiamus. Homo, corporalis eſt & ſenſibilis, ſuas dirigit actiones, ac inchoat per ſenſus corporales, ex ijs quæ oculis conſpicimus, audimus auribus, manibus contrectamus. Deus Magiſter eſt vniuerſalis, de cuius nemo dubitat doctrina, qui vt prima veritas nos, id quod eſt, docet, qui nec falli poſſit, nec fallere. Qua ratione igitur me docebit, quomodo illum docendus accedam, quem nec oculis video, nec auribus audio? Ad hoc ſeſe offert in perſona quadam viſibili, ſcilicet Papæ, idque tam ad viuum, vt hoc nobis firmiter perſuadere debeamus, quando nobis Pontifex loquitur, Deum ipſum eſſe, qui nobis loquatur. Ita vt, qui Papæ non crederet, quem videt, Deo fidem, quem non videt, non adhiberet; & qui Papam ſperneret, quem videt, Deum quem non videt, aſpernabitur: quia in illo ipſe eſt, ipſe ſe nobis offert audiendum, ac videndum: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Luc. 10. 16.

Vult nobiſcum eſſe Dominus vſque ad mundi conſummationem: *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Quomodo hoc fiet? Quod ſi cœlos ſcanderit, ſecundum præſentiam corporalem, iam illum nec videbimus, nec audiemus. Ad hoc ſeipſum offert verè ac realiter in viſibilibus ac ſenſibilibus, vt in ſpeciebus panis ac vini in Venerabili Sacramento; ita vt, qui illud adorat ipſum Chriſtum adorat, qui ſpernit, Chriſtum ſpernit, quem hic eſſe credimus in ſubſtantia ac propria perſona, ſed occultum, & aliena ſpecie coopertum. Hoc à nobis exigit Deus, vt qui illum amat, non in ſolo ſiſtat actu interiori voluntatis, ſed illi ſeruiat, bona ſua illi offerat, & cum illo diuidat, hic enim veri amoris effectus eſſe comprobatur, multis adolet operibus: hoc amor eſt: *Amor Dei operatur magna, ſi eſt, ſi autem operari renuit, amor non eſt*; ait magnus ille D. Gregor. Has in dilectionis proprietates accuratè deſcripſit Spiritus Domini: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Legunt alij: *Carbones eius, carbones ignis, & flammarum Dei.* Amor Dei, carbones ſunt, non vnus, ſed multi, vt amoris oſtendat efficaciam: carbones ignei, flammei, ardentiſſimi: hoc quippe ſignificat: *Flamma um Dei.* Phraſi ſacræ paginæ familiari. Non ſunt carbones, quibus ſufficit ignis interior; ac concluſus, ſed ignem foras emittunt, ardentiſſimas circumquaque flammas, igneſque exhibantes. Spectat, vt quidam opinantur, fulguris ignes, qui communiter Dei flammæ nominantur. O ignem potentiſſimum, qui nubibus non concluditur, ſed impetu erumpit vehementiſſimo, vt nullæ ſint vires, quæ detineant nubibus concluſum, ne foras proſiliat. Conſidera, quæſo, charitatem, ignem illum cœleſtem, qui animam accendit, vt carbo, qui totam penetret, qui viſcera accendat. Si verò talis ſit, qualem eſſe conuenit non ei ſufficit animæ viſceribus includi, ſed ſummâ prodit diligentiâ, erumpit vehementiâ, flammas huc, illucque diffundit ardentiſſimas. Talis eſt Dei dilectio, quæ nedum accendit interiùs animam, ſed & foras erumpit, ignes diffundit, i. dilecti beneficium & obſequium: *Operatur magna ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Qui igitur Deum amat, opera habet eminentia.

Matt. 28. 20.

D. Greg. Hom. 30. in Euang.

Cant. 8.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tia, quibus ad Deum accedat. Dicito mihi, qua hoc fiet ratione? Quid ego dare Deo poſſum, quod ei poteſt prodeſſe? Vbi ſunt illi manus, quibus ea recipiat, quæ cum illo diuidam, non eas conſpicio? Nec ipſe pauper eſt, vt bonorum meorum indigeat, nec infirmus, quem foueam, nec ergaſtulis incluſus, vt pro illo ſpondeam, nec captiuus, quem redimam. In hunc finem modum inuenit præclariſſimum: ipſe ſe transfigurat in perſonam pauperis, infirmi, captiui, ſpoliati, ſuas manus in pauperis mutat manus, ita vt, dum ex his vnum vides, in eo Deus ipſe tibi ſit conſiderandus.

Matt. 25. 40. Huius te certiorem facit, dum ait: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Dum vides pauperem, manus extendentem, ne illas attendis (monet te D. Petrus Chryſologus) vt huius manus indigi ſed vt ipſius Dei manus, qui pauperi manibus quas vides, abſcondit ſuas, quas non vides: *Manus pauperis, gazophilacium eſt Chriſti: quia quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat.* Cum infirmum vides vlceribus ſaucium, qui tuam repoſcit miſericordiam, hoc reputa, quod Deus ipſe ſit, qui iacet languidus, qui à te poſtulat ſubſidium; qui ad amoris tui exercitium, ſe pauperem exhibet in paupere, infirmum in infirmo, in captiuo captiuum: ſicque ſemper hæc ita coniunguntur, vt perpetuo conſideres (hortatur D. Chryſoſto.) illud Dauidis: *Aſtitit à dextris pauperis.* Quod proposito congruè expendit D. Gregorius: *Hoc quod iacentis in terra porrigitis, ſedenti in cœlo datis.*

D. Pet. Chriſo. Ser. 8.

D. Chrys. Hom. 5. de eru. pauper. Pſ. 108. 31. Hom. 40. in Euang. ad finem.

§. 7. *Se Deus exhibet in paupere, in quo tuam erga illum poſſis operibus probare dilectionem.*

13 HOc mira verborum explicauit Dauid proprietate. Diligebat Deum, & tantis eius beneficijs obſtrictus, optabat præſtare Deo obſequia, de bonis ſuis illi retribuere, eius neceſſitati ſubuenire, & anxius hæret, qua poſſit hoc facere ratione, quia hoc de Deo credit, quòd nullis affligatur incommodis, quibus poſſit auxiliari: nec ... rum egeat bonorum: *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Hebræi Deum nominant *Sadai*, id eſt, ſe ipſo contentus, ſatur, nullius egens: ſic eſſe profiteor, inquit Dauid, & in hoc, ipſum eſſe Deum meum, agnoſco. Veruntamen, ſit benedictus Deus meus, qui mihi dedit occaſionem, modumque præſcripſit, quo mea poſſum adimplere deſideria. Quis ille, quæſo, modus? *Sanctis qui in terra ſunt eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis?* Ipſe ſe ſub perſona exhibet Sanctorum, quos habet in mundo, id eſt, egenorum, quos in terra poſuit, illoque modo mirificauit omnes meas voluntates, præcipiens ac deſignans, vt in eis mea compleam deſideria: *Mirificare*, rem ſignificat facere mirabilem, eam de ſuo eſſe natu ali ad ſuperiorem attollere qualitatem, qua fiat vt illuſtrior, ita mirabilior. Hoc modo loquitur Dauid: *Scitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum.* Attende modum, inquit Dauid, quem Deus mihi deſignat certe admirandum. Num tibi ô Dauid eſt voluntas, meis opitulandi neceſſitatibus, mihi in aliquo ſubueniendi, munera offerendi in tui erga me amoris teſſeram? Mihi in propria facie hæc non potes perſona, illis enim nullatenus indigeo; veruntamen illa tua deſideria ad meos conuertere chariſſimos, in meis illa comple pauperibus: quæ licet in eis ſiſtere nec vltra progredi videantur, illa tamen extollo, & ad tantam eueho dignitatem, vt ad me accedant, mihi in paupere languenti deſeruies, me in captiuo deſolato viſitabis, me in paupere puella ſubleuabis, me in plagis ſaucio curabis; ſi verò hoc in paupere non egeris, in quo me exhibeo, vt me videas, in mihi facere dedignaris: *Quod non feciſtis vni ex minimis meis, nec mihi feciſtis.*

Pſal. 15. 2.

Pſal. 4. 4.

Hæc Dei eſt intentio: *Hoc mandatum habemus à Deo* (ſcribit D. Ioannes) *vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Ex epiſtola D. Auguſtini, allicit ad colloquium Chriſti cum Petro. Iam ſepulchro redimitus Petrum interrogat: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Reſpondet illi Petrus: *Tu ſcis Domine, quia amo te.* Dixit illi Ieſus: *Paſce agnos meos:* hocque nondum ſemel aut bis, ſed tertiò idem repetit. Domine, Petrum interrogas an te diligat; reſpondet: diligo: cur igitur non præcipis, tibi fideliter ſeruiat, ſed tuas illi demonſtras oues, ſignas agnos, vt eorum curam habeat diligentem? Magnum hic latet myſterium. Amare, eſt alteri velle bonum, & modis omnibus procurare. Tu exceptas mihi bonum? mihi deſideras benefacere? nihil magis, totamente, totis viribus. Attamen qua ratione hoc peragam non inuenio: bonorum meorum tu Domine non indiges? En agnos, en oues meas, in illis tua comple deſideria, mihi amulandis: in illis quippe meipſum offero, meipſum in illis attende, earumque inopiam, meam eſſe

1. Ioan. 4. 21. Tract. 5. in 1. Can. D. Ioannis. Ioan. 21. 15.